



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 10. De Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. X.

De Oratione.

I. **A**nte Orationem semper præmittitur *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi* ab ijs, qui nondum sunt Diaconi, excepto Triduo ante Pascha.

II. Nunquam omittitur Oratio.

III. In Dominicis sumitur semper ex Proprio de Tempore, in Fetiis accipitur Oratio Dominicæ præcedentis, nisi propriam habeant. In Festis ex Proprio vel Communi Sanctorum.

IV. Clauditur semper cum verbis *per Dominum*, aut *Qui tecum vivit*.

§. XI.

De Commemorationibus specialibus.

I. **F**lunt hæ Commemorationes eodem ferè Tempore, & Ordine, quem supra in Laudibus observandum diximus, nisi quòd in Vesperis Festi primæ Classis nullafiat Commemoratio, Simplicis aut dici infra Octavam; in Vesperis Festi secundæ Classis etiam horum fiat Commemoratio.

II. Modum quod attinet, requirit is, ut, si Commemoratio fiat de sequenti, Antiphona & Versiculi sumantur ex primis Vesperis. Si verò fiat de præcedenti, ex secundis accipiantur. Quòd si Officium fiat in primis Vesperis de Festo v. g. Confessoris Pontificis, & aliud simile, de quo faciendafit Commemoratio, occurrat, tum Antiphona pro Commemoratione prima, uti & Versiculi ex Laudibus sumendi sunt. Si verò & tertium simile occurrat, Antiphona quidem ex secundis Vesperis; Versiculi verò, quia communiter ijdem sunt cum Versiculis, qui in Laudibus dicuntur, ex primo Nocturno accipiendi sunt, nisi & hi quoque jam dicti sint, tum enim ex secundo Nocturno sumi debent. Quòd si cum Festo principali de alio simili in secundis Vesperis faciendafit Commemoratio, tunc Antiphona & Versiculi ex Laudibus sumendi sunt, si quidem Versiculi diversi sint ab ijs, qui in secundis Vesperis sunt dicti; si autem (ut plerumque contingit) non sint diversi, ex primis Vesperis accipiendi erunt. Si verò tertia similis Commemoratio faciendafit, tum Anti-

phona